



G. F. G.



33  
DE  
STIPENDIIS

LITTERARIIS  
DISSERTATIO POLITICA,

QUAM  
SECUNDANTE DEO TER OPTI-  
MO MAXIMO,

PRÆSIDE

CLARISSIMO

DN. M. JOHANNES ER-  
NESTO GERHARDO JENENSI,  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
ADJUNCTO,

HORIS MATUTINIS

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM

A. D. IX. MENSIS MARTII

ANNO M. DC. L.


PUBLICÆ ET PLACIDÆ ERUDI-  
TORUM DISQUISITIONI

SISTIT

JOHANNES HOMMEL

CHEMNITIO-MISNICUS

A. ET R.



WITTEBERGÆ,

TTPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.

STIPENDII

LITTERARII

DISSERTATIO POLITICA

SECUNDUM D. OTT.

PARISIIS

MDCCCLXXXIII

RECTOR GERHARDO JENENSI

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE

ADLECTO

MORIS MATHEMATICIS

IN ACADEMIA PHILOSOPHORUM

A. D. DE MENSIS MARTII

ANNO MDCCLXXXIII

PUBLICAE ET PLACIDAE ERUDI-

TORUM DISCUSSIONI

STITIT

JOHANNES HOMMEL


CHEMNICENSIS

A. ET R.

WITTEBERGAE

THOMAS JONANNIS HAKER, M. DC. L.





בשם יי

## PROOEMIUM.



Citum est, egregium est, idemq; regium, quod in Musarum ac Gratiarum horto *Plauto Rud. act. 4. sc. 3.* invenimus, dum Comicus ait: *Bonis quod beneficit, haud perit.* Etenim quicquid in tales collatum & collocatum beneficij est, id omne iterum ad Benefactores redit, haud aliter, quàm flumina ad ipsum mare. Atque hoc probe intellexit *Sigismundus Imperator*, qui munificentiam suam atq; amorem erga Palladen intantum exercuit, ut etiam à quibusdam eo nomine reprehenderetur, quod nimis magnis sumptibus foveret & promoveret doctos, etiã infimo loco natos: quibus tamẽ ipse respondit egregiè. *Cur non foverem, dicebat laudatissimũ Principũ, & liberaliter ornarem eos, quos Deus & natura præclaris donis ac ornamentis nobilitarunt. Ceu refertur à Philip. Melanch. de Sigism. Imp.* Hæc profectò præclara vox est, & digna Imperatore responsio. Haut absimilem laudem Alberto Archiepiscopo Moguntino & Marchioni Brandenburgico tribuimus, quippe de quo *Georgius Sabinus* canit:

*Nec fulvum sibi congerebat aurum,*

*Doctos munera conferens in omnes*

*Dispensabat opes, manuq; largã*

*Sacras Pieridum fovebat artes.*

Noverant munificentissimi hi Principes probè, magnam vim magnumq; monumentum positum in literis esse. Etenim cum felicitas publica, ad quam in civilibus referenda omnia sunt, è singulorum omnium constet felicitate; singulorum autem felicitas in excolenda exercendaq; virtute præcipuè sita sit; ad perfectam vero virtutem consequendam, viam quasi sternant literæ. Consequitur profectò, ut nisi in qua literarum cultura vigeat, florere ferè possit Respublica nulla. Neq; vero fieri aliter potest, quin optima



latere cogantur, in felicissimo etiam seculo, ingenia, cum rerum gerendarum omnibus destituuntur nervis. Haud secus enim atque vitis jacet, nec fructum fert, nisi ad stipitem arboremve applicetur: Ita etiam qui bonis literis nomen dederunt, nisi gratia & favore Magnatum fuerint subnixi, vix ad maturitatem pervenient. Ex Apollinis capillis guttulas destillare Poetae fingunt, quae Regibus offerant regnum, civibus pacem. Sed ubi sunt illae? non abeundum longè est. Litterarum Amasij guttulae istae sunt. Hi enim virtute & prudentia muniunt & communiunt Rempublicam. Atque hoc ipsum nullo non tempore Literarum Dii probè sciverunt, indeque ita invicem munificentia decertarunt, ut elogijs dignis extolli satis haud possint. Henricus I. Imperator tantae fuit liberalitatis, quantae vix ullus Regum aut Imperatorum: nullum is suorum Saxonum *Adwegr* seu in donatum ac sine munere à se dimisit. Sequuti hunc cum primis ILLUSTRISSIMI CELSISSIMIQUE ELECTORES ET PRINCIPES SAXONIAE sunt, largis stipendijs eruditionis alumnis ab aliquot seculis succurrentes praeclare. Neque enim eos lauit, florente & crescente literarum in Christianorum caetu gloria, universam quoque Christianorum Rempublicam, Curias, Ecclesias, Respublicas, Civitates in dies florere magis ac magis. Qua fine & nos quaedam de Stipendijs, literarum cupidis quae praebere solent, pro ingenij modulo, proferre animum induximus. Id quod consilium nostrum, ut feliciter cedat, DEUM OPTIMUM MAXIMUM invocamus, precamur, obsecramus.

CAPUT PRIMUM  
DEFINITIONEM NOMINALEM  
EVOLVENS.

Ante verò quàm materiae interpretationem, accedamus, pauca de significatione ipsius vocabuli referre necesse est, ne prius scilicet determinemus, quàm terminos intelligamus. Pro meliori itaque tradendorum intellectu tractationem hanc à nominis incipimus notatione. *Nam origo rei potissima cujusque pars est. Scheibl. lib. I. Metaph. num. 142. Dicitur autem Stipendium à stipe pendenda. Aes enim stipem quoque olim dicebant; quia per stipites, id est modica ara*

ca æra colligebatur. Nā quod asses libræ pōdo erant, qui acceperant majorē numerū, nō in arca ponebant; sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet, *Varro lib. 4. p. 30. Stipem* verò à *stipando* dicere cæperunt. Idem lib. cit. d. LL. *Ulpian. in l. 27. ff. de verb. sign. Stipare* autem à Græco fortasse vocabulo *σεῖβειν calcare*. Nam hoc etiam quandam densandi & *stipandi* significatiōnem habet, cum quæ calcantur, eadem & stipentur. *Scap. in Lex.* Quod vero hinc fortasse descendat, inde apparet, quod ut aliàs, ita quoq; tunc institutum fuerit, dijs cum thesaureis asses dant, stipem dicunt, & qui pecuniam alligat, *stipulari* & *restipulari*. *Stipem* autem nominasse pecuniam signatam, quod stiparetur, *Festus* auctor est, p. 182. *Stips* vero apud veteres talis erat pecunia, quam vel (I) in ærarium reponebant ad urbem tutandam custodiendosq; imperij fines. Hinc cum Legiones plurimæ & præsidia alenda Romæ essent, in eam vero rem sumptus cives suppeditarent exiguos, retulit ad Patres Augustus, ut quo sine cujusquam injuriâ & detrimento militibus stipendia persolverentur, præmiaq; distribuerentur, census aliquis perpetuus constitueretur. Cum nec sic efficeret aliquid, & Senatores insuper graviter ferrent, hujuscemodi rationem quæri, Augustus ipse proprium ærarium militare constituit, atq; in id pecuniam pro se & Tiberio intulit, & se id in annos singulos facturum promisit. Veruntamen, cum nec hâc ratione satis locupletaretur ærarium, & alius inveniri modus non posset, decrevit, ut hæreditatum sive Legatorum pars vicesima eò referretur, ijs exceptis bonis & facultatibus, quæ proximis cognatis aut pauperibus cedebant. Custodes etiam cujusque corporis, (quos antiqui *Latrones* à Græco *λάτρευον* *Varro lib. 6. d. LL. p. 53. Festus p. 304.* dicebant, id est, mercenarios, qui cum ferro velut circumdabant Regum corpus,) *Stipatores* à *Stipe*, quam mercedis nomine accipiebant, dicti sunt, prout ex *Festo p. 446.* quem modo laudavimus, constat. *Milites vero Stipendarij* nominati ideo sunt, quoniam eam stipem pendebant, teste *Varrone lib. 4. de LL.* Huc & *Ennius* alludit, scribens: *Pani stipendia pendunt.* Vel (II) Dijs offerebant, quasi Deos Deasq; illarum habituri fidelissimos custodes. Ita *Alexander* in Cilicia deposuisse apud Solos in delu-



bro pecuniam, dicitur: Et Atheniensis Clistheues Junioni Samiæ, civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit: Faciunt huc, quæ Romanæ eloquentiæ Princeps habet *Epist.* 20. lib. 5. dum scribit: *Nam de Luceio est ita actum, ut auctore Cn. Pompejo illa pecunia in fanoponeretur. Id ego agnovi meo jussu esse factum. Quæ pecunia Pompejus est usus, ut tua, quam tu deposueras, Sixtius.* De pecunia vero ex Pompejanorum bonis redacta ad *Opis* posita, crebra mentio in Philippicis. Vel (III) *Mendicis* ad infelicis vitæ sustentationem dabant. Hinc Dionysium Tyrannum ob extremam mendicitatem stipem petijisse, *Ælianus* prædit.

Præmissâ vocabuli Etymologia, & quæ huc trahi forsan videbantur, consideranda nunc ejus Homonymia est. Vocabulum enim *πολύσημον* est, indeq; ab æquivocatione liberandum. Sumitur autem *Stipendium* (I) Pro *ære militari*, quod in castris militibus traditur. Hæc significatione apud *Juven.* Sat. 16, & *Plaut.* Mil. Glorios. act. 1. sc. 1. v. 74. occurrit: apud quæ, *Latrones ibus dinumerẽ stipendiũ.* Apud *Ovidiũ* quoq; lib. 1. Amor. Eleg. 9. et alios probos Latinitatis autores sæpissimè hoc sensu eadem vox invenitur. Tenendam autem probè est, ab initio urbis privatis militatum sumptibus usq; ad annum 347. fuisse. Capto enim Anxure, Volscorum oppido, equitibus demum de publico datum anno 350. bello Veienti. Tam igitur stipendium diurnum fuit trium assium, Julio rerum potente sex vel septem, Augusto decem: & eo tempore menstruum unus aureus Romanus, post duo, deinde tres, demum quatuor, quorũ unus valet nostros duos. Hic id notandum venit; in Legione nemini fuisse licitum militare, nisi civibus Romanis, ingenuis, & qui quinq; classibus censi, artiumque ludicrarum expertes essent. Quare, nisi necessitas coegisset, servi, libertini, Senes, histriones, capite censi non legebantur. Qui vero in Legione militarent, ijs & cohors prætoria, & aditus ad militaria munera patebat, stipendiũ numerabatur, præda concedebatur, dona ab Imperatore veniebãt. (II). Accipitur, Pro *Stipendio*, emeritis & senio confectis persoluto. Cum Tirones nisi sacramento probati essent, ne milites fuerint dicti. *Isid.* lib. 9. Romanæ autem militiæ fuit mos, puberes primo exerceri armis. Nam decimo septimo Anno tirones militabant,

quo



quo etiam solo sub custodibus agebant. Emeriti vero dicebantur milites veterani, quorum usus in prælijs amplius non erat, quia merere militare dicitur, Nonius Marcellus c. 4. à stipendijs, quæ merentur. Lucil. Satyr. lib. 15. Dum milites hibernas ac meret tersa ex ætate quasi annos, Idem lib. 11.

*Annos hic errat, jam plures miles hibernas  
Nobiscum meret.*

*Merui quoq; sepè furores.*

*Compressi*

Apud Maronem lib. 5. Æneid. legimus. Varro de vita populi Romani lib. 3. Qui in exercitu donati essent, & a re publico mererent. Dicebantur vero emerita seu confecta Stipendia, quæ elapso tempore certo militibus solvebantur. Cic. pro Pompejo, Partē militū, qui jam stipēdijs confectis erant, dimisit. Hinc stipēdia facere & merere, idē est, ac operæ militari sese devovere. Hoc sensu capiēda illa Taciti sunt lib. 3. Quanquā ipse plures per provincias quadraginta stipēdia explevisset, & Livij. Sed qui tum stipendia pedibus propter paupertatē fecisset. (III.) Stipendium etiam dicebatur tributi genus, quod tenebantur solvere Principi aut Reipublicæ ad sustentationem militum, prout ex Livio lib. 2. constat. Quæ stipendia tamen & tributa non rerum, nec personarum onera erant, sed libera, quæ quilibet in publicum faciebat aut contribuebat, ut eò melius moles bellorum sustineri posset. Initio vero apud Romanos more receptum erat, ut domi manentes contribuerent in alimentum eorum, qui militiæ causa aberant. Post ultro multi Reipublicæ conferebant; deniq; indicto tributo, ceu meminit Livius lib. 4. ab Urb. Cond. Ubi: Postremo indicto, ait, jam tributo, edixerant etiam Tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non retulisset. Partes bene cæptam rem perseverant tueri. Et quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidem ad ærariū cōvehentes, speciosam collationem etiam faciebant. Cum Senatus summâ fide, ex consensu contulisset, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt, quos cum & à Patribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repente, spreto tribunitio auxilio, certamen confere-

rendi



rendi est ortum. Aucta & ditata Republica, ejusmodi tributum & stipendium colonis ac agris imponi cepit *Livius* l. 7. de secundo bell. Punico. (IV.) Pro *Salario*, quod non solum annonam tribunorum militarium, sed & mercedem ac Stipendium in artium liberalium cultores collatum, signat. Tribunorum vero militarium & Ducum Salaria, annonae ipsorum erant. Proinde Graeci interpretantur ἀλάριον, σιτηρέσιον. Et fortassis inde ductum est vocabulum, quod salaria percipientes inde se alant. Satis clarè *Vopiscus* in Aureliano. Num illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta. & postea: Panes militares numero sedecim, panes militares castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta &c. E quibus intelligitur annonam cuique destinata & assignata, *salarium* dici. Idem in *Probo*. Item in *salario diurno bubula, pondo sex, caprinae pondo decem &c.* Latius tamen patuit hoc vocabulum, nec pro annonae tantum, verum etiam pro commodò & stipendio militum usurpatum est. *Plinius*. Nec pudet tribunorum militarium salarijs emere. Itaque à Graecis explicatur στρατιωτικόν, ὀψώνιον, σιτηρέσιον, παροχὴ & στρατιωτικόν, φιλόανθρωπον, veteribus glossis, quae & *salarium* dici ostendunt. Quia vero magnam cum militiam similitudinem Respublica literaria habet, inde etiam privilegia Scholaribus competentia admodum bene cum militum comparantur privilegijs. sumptus etiam ipsi in studia & dignitates eruditorum expensi, sunt castrensia quasi stipendia. (V.) & ultimo pro *Legatopio* seu donatione libera, artium ac promovendorum studiorum causa legata. Quae significatio hujus loci.

Cæterum, varias etiam denominationes vocabulum stipendium fortitur. Vocatur enim *Premium, Salarium, Donativum, Tributum*. In initio quidem nulla differentia inter *Stipendium* & *Tributum* erat, quia quicquid tribuebatur, in stipendium cedebat, & parva pecunia sive stipes, quae viritim colligebatur & conferebatur, erat. Cæterum, cum jam agris imponi hoc onus cepisset, & quidam hac conditione in publicum venirent, ut quoadiu stipem emtores conferrent, possiderent: quidam vero per censores locarentur, ut de Campanorum agris ex *Livio* lib. 7. de secundo bell. Pun. demonstratum est, & ex *Cicerone* in 5. actio. Verri patet: aliqua tributum &

buti & stipendij differentia orta. Quâ de videatur *Gædd.* in d. l. 27. num. 13. 14. 15. de verb. sign. Confer. *Turneb.* advers. lib. II. c. 27. *Cujac.* 7. obs. 3. Differt tamen stipendium militare à nostro: Nam stipendium militare è tributis collectum fuisse, colligi potest è *Tacit.* l. 4. Et lib. I. ut citatur ab Alc. in enarratione l. ager. de verb. sign. Indicat ibi, stipendarias omnes provincias populi Romani fuisse, excepta Italia, & si quæ urbes jus Italicum haberent, ut fæderatæ essent. Hinc etiam, ut ante dictum, inter stipendium & tributum, quoad propriam significationem & usus originem nulla est differentia. Per text. in leg. 27. ff. de verb. sign. *Ex Cicerone etiam, Livio item, Gellio, Plinio* ac pluribus alijs notissimum redditur, stipendium & tributum olim indifferenter appellatum illud fuisse, quicquid in publicum colligebatur, ut ex eo milites Reipublicæ sustentarentur. Stipendium vero nostrum est legatum pium, seu donatio libera studiorum causa legata.

CAPUT SECUNDUM,  
STIPENDII DEFINITIONEM  
PROPONENS.

Explicatâ vocis significatione ipsam statim rem aggredimur, & hanc satis, ceu confidimus, perspicuam ponimus DEFINITIONEM. STIPENDIUM EST DONATIO QUÆDAM LIBERA, EX LIBERALITATE HOMINUM RELIGIOSORUM AD NECESSARIA PRÆSIDIA LITERARUM CULTORIBUS DESTINATA. Bona verò definitio ex Genere & Differentia cum constet, idem & de nostrâ hâc demonstrandum. Hujus verò definitionis GENUS est: *Donatio*. Donationem autem veteres propriè appellabant, ubi ipsa quoq; rei traditio, datioq; accesserat. Scribit *Plinius* lib. 35. Græcos antiquos *δῶρον* appellasse palmam, & ideo *δῶρον* vocasse munera, quia manu darentur. Hinc Donationem dictam esse volunt à *dono*, quasi *doni datio*. Donationum autem duæ sunt species: alia enim pura seu propria donatio est: alia conditionalis. Illa, cum quis eâ mente dat, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo ca-

B

su ad



su ad se reverti, & propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat. Hæc propriè *Donatio* appellatur, quæ, si fuerit perfecta, temere revocari vix potest. Perficitur autem cum dator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit. §. aliæ de don. Inst. *Donatio conditionalis* est, cū quis eā mente dat, ut tunc demum accipientis fiat, si tamen aliquid secutum fuerit. Ea enim non propriè donatio appellabitur, sed ita in totū donatio sub conditione est. *Donationis* verò verbum simpliciter loquendø, omnem donationem comprehendit, sive mortis causa, sive non mortis causa factam l. 67. ff. de verb. sign. Neque enim creditor donare dicitur, qui mutuo dat, vel debitor qui soluto. Sed quoties aliquid dono datum est, tunc hoc nomen usurpatur. Videntur Latini veterem hanc locutionem dono aliquem dare vel donare à Græcis sumsisse, qui *τινα δωρεν δωρεϊναι* dicunt, eum solius liberalitatis & munificentiae causa rem alicui traditā significant. Atq; *donatio* propriè appellatur, cum quis eā mente liberalitatis gratia quid dat, ut statim accipientis fiat, neq; ullo casu ad se reverti velit, l. 1. ff. de don. eaq; absoluta & vera *donatio* dicitur l. 35. §. 1. & l. 42. in fin. de mort. caus. donat. *Briff. ita Calv. Lex. Jur.*

Stipendium verò donatio *libera* est. **DISTINGUITUR** per *libera* ab alijs donationibus, siquidem aliàs multiplices statuuntur à Doctoribus, *mortis causa & non mortis causa*. Donatio vero dicitur: Nam res semel præstita in hoc beneficium, ita comparata est, ut etiamsi fortè postea ad donatorem rediisset, non sit ei locus, sed condemnetur donator in solidū, nempè, ut quivis aliq alienæ rei possessor. Sed *liberam* dico: quia hæc donatio tribui videtur liberalitati. Hæc enim demum vera donatio est, ubi non temerè tribuitur aliquid alicui, nec ex causa remunerationis: neq; ea verè donatio dicenda, sed potius permutatio. Calv. L. J.

**SUBJECTUM**, sunt *Literarum cultores*. Per hos verò non intelligimus hoc loco primariò Doctores & Professores, quamvis etiam hoc nomine comprehendantur, sed Scholares, seu juventutem eamq; etiam Academicam, siquidem hoc vocabulum sic plurimi autorum interpretantur. Et rectè quidem stipendia tales etiam accipiunt, quia Reipublicæ quamplurimum interest, quo  
sua

sua ingenia modo statim ab ineunte ætate ad spem illius rectè in-  
formentur & educantur. Prima enim Reipublicæ cura debet es-  
se, ut & qui imperant & qui parent, educationis curam habeant. id  
quod prolixè Præceptor ac Evergeta meus Pl. honorandus Plur.  
Rev. & Exc. Dn. WENDELERUS SS. Theol. Doctorandus Philoso-  
phiæ Practicæ p. 748. docet. Ad hoc verò imprimis requiritur di-  
ligens in literis informatio. Quid enim populi? Quid gentes?  
barbaries mera, tenebræ, & quid non? demptis bonis literis? Quis  
vero contrà non videt, quantus à Magistratu literato in universam  
Rempublicam manare fructus solet? Quanta in Patriam salus, in  
populū felicitas, in cives splendor, & decus, & tranquillitas, & pax?  
Literarum certè studiis totus orbis iuvatur. Faciunt eadem ad  
cognitionem Dei, conducunt ad vitam rectè instituendam, juvant  
ad conservandum omnium virtutum æternam memoriam. Quan-  
tis laudibus & præmiis apud Romanos, illos terrarum Dominos li-  
terarum studia honorata sint, inter complura exempla hoc mihi  
videtur præclarum maximè, quod in laudem Rom. Imperatoris  
olim acclamarent: *Quis melius, quàm literatus, imperat?* Indicare  
nempe hoc ipso voluerunt, omnium esse maximam hanc ejus vir-  
tem, sicut certè erat. Et profecto habent bonæ literæ naturalem  
quandam & præpotentem in rebus mortalibus vim atq; energiam,  
inde & Cicero eas rectissimè appellare consuevit *Divina sempiter-  
nas virtutis testes*. Cum autem juxta Salmoneensem Vatem lib. 1.  
Fastor. *Pauper jaceat ubiq; ac teste Juven. sat. 3.*

*Haud facile emergant, quorum virtutibus obstat  
Res angusta domi.*

Cum primis vero per bella continua & infauſta, & per hæc  
tempora parum aliàs ijs amica, Musæ lateant & jaceant, & verò  
Respublica sine studijs stare nequeat; itaq; stipendijs, beneficijs-  
que Magnatum nutriendi sunt, qui aliquando Ecclesiæ atq; Rei-  
publicæ præesse possint.

CAUSA EFFICIENS, liberales & religiosi homines sunt.  
Hi verò *liberales à liberalitate* dicuntur. Liberalitatem autem dictam  
volunt à *libero*, quia libero homine quam maximè digna illa virtus  
sit. Videatur Liebenthal in Exerc. 9. Eth. Quidam verò, ceu obser-

vavit Admodum Rever. Ampl. Exc. Dn. D. SCHARFIUS Patronus ac nostrorum maximus Promotor studiorum in Disp. 35. Synop. Phil. à *libertate*, quod scilicet homine libero dignissima hæc sit, hominemq; à turpissimâ divitiarum servitute liberet ac adserat in libertatem. Quibusdam originem ducit à *liberando*, quod beneficijs collatis à necessitate liberet. In hoc enim propendet quam maximè liberalitas, ut alijs serviat, eorumq; necessitati succurrat. Alijs dicitur, à *liberè dando*; ita ut dicamur dare liberaliter, quod liberum est etiam non dare, atq; ita discrimen constituatur inter liberalitatem & justitiam. Hæc enim det cuiq; debitum. *Liberalis* verò *Aristoteli* dicitur lib. 4. Eth. ad Nicom. διδόμεναι καλῶς ἕνεκα. Et Mag. Mor. lib. 1. c. 24. ὁ ἀναλίσκων εἰς ἃ δὲ καὶ ὅσα δὲ ὅτι δὲ. Maximè igitur liberales tali titulo digni sunt, quia καλῶς ἕνεκα donant. Itaq; rectè donatio definitur, quod sit, cum quis eâ mente dat, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, & propter nullam aliam causam facit, quam ut munificentiam & liberalitatè exercent. Ad CAUSAM EFFICIENTEM collatores donorum quoq; pertinent, uti sunt, hæredes, aut alij ad voluntatis testatoris executionem constituti. Vocamus verò *religiosos*, non quod paupertatem, vel castitatem perpetuam DEO voverint, uti Pontificijs id nominis tali acceptione in usu est; nec quod aliquid ex illis votis observarint, ut *Hospitalarij* & *Templarij*: ut religiosi intelligantur, qui Græcis ἱερόδουλοι de quibus *Strabo* lib. 12. sed quia Christiani pijq; homines. Religionis seu pietatis causæ ad tria capita pertinent; videlicet, ad divinum verbum; ad bonas literas & ad paupertatem. In his consistit universum pietatis exercitium. Nihil verò dicitur à veræ eruditionis pietate suffultæ a lumnis sine religionis pietatisq; mentione. Et religiosum piump; est, paupertatem suis opibus juvare, ac alimentis, qui hæc premantur, succurrere.

FINIS. Hic est ut sint *præsidia literarum*. *Præsidium* verò propriè auxilium principale dicitur; unde milites, qui in alicujus tutela oppidi collocati sunt, præsidium dicuntur: per translationem tamè, præsidium vocamus omne auxilium & salutis propugnaculum. Sic etiam Legata testatoris præsidium literarum sunt, quia auxilium ferunt pauperi, quò studia sua eò pertractare possit feliciter, imo  
ejus



ejus salutis propugnacula quasi sunt; nisi enim illi adjumento sint, intereundum esset, quippe, cui aliàs adminicula denegata omnia sunt. Ad præsidia verò seu auxilia literarum pertinent cum primis liberales mensæ, quas illustres Principes in Academijs laudabili ordinarunt instituto. Huc referenda & legata sunt, in trivialibus quibusdam Scholis ad coemendum illa, quæ ad victum, libros, vestimenta, aliaq; necessaria sunt. Cui verò hujusmodi exhibita beneficia sunt, apud illum necesse omninò est, ut nunquam horum memoria exolescat. Sed decet omninò ut gratus sit adversus benemeritos, & ne beneficij in ipsum collati pœniteat Mæcenes, eò cogitationes suas dirigat omnes, quò nominis divini gloriam, & beneficiariorum memoriam gratam semper curæ sibi habeat.

### CAPUT TERTIUM

## STIPENDII DIVISIONES VENTILATIONI SUBJICIENS.

*A definitione* ordine descendimus ad DIVISIONEM. Stipendia verò dividuntur, vel respectu *personarum*, partim *Donantium*: ubi quædam ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Ducibus, Baronibus, Episcopis, Archiepiscopis, &c. sunt destinata.

Sic liberalitatem suam insigniter Carolus M. exercuit. Academiã enim *Bononiensem*, antea à Theodosio constitutam, non solum instauravit ipse, sed duas insuper novas huic addidit, alteram in Italia *Papiensem*: alteram in Galliã *Parisiensem*, ut nempe hæc ratione extincta optimarum artium studia excitaret rursus, & religionem ac Rempublicam ingenuis muniret disciplinis: prout de eo memorat *Philip. Melancht.* Orat: de Carolo Magno. Eberhardus I. Wirtenbergensis Dux erga doctos summè quoque liberalis fuit. *Tübingæ* enim scholam publicam Anno 1477. condidit, eandemq; stipendijs donavit amplissimis. Simili in eruditos adfectu ductus Joachimus I. Marchio & Elector Brandenburgensis, viros doctos liberaliter fovit: & publicam illis scholam suis sumptibus condidit cis *Viadrum*, Anno Christi 1506. sed quid aliena deprædico exempla? Versantur enim ob oculos omnium ingentia facta Sa-

zonæ nostræ Principum & Electorum, quibus omnibus propè Magnatibus palmam fecere ipsi ambigam summâ hâc in literarum alumnos propensione. Quem fugit, in nostris regionibus præter duas toto orbe celeberrimas Academias *Wittebergensem* & *Lipsiensem*, tres illustres excitatas à SAXONIÆ NOSTRÆ SERENISSIMIS ELECTORIBUS jam multis ab hinc annis fuisse? Haec ipsam enim *Wittenbergam* nostram, quæ inter omnes Academias cæteras caput quasi erigit, atq; ita fulget, ceu splendere solet inter ignes Luna minores, Fridericus III. Elector Saxonæ Anno 1502. inchoavit, & stipendia pauperibus bonarû artium, omniumq; facultatû studiosis legavit amplissima. Quâ præclarâ tanti Herois munificentiam Successores ejus feliciter imitati sunt, interque Martia etiam tempora Academiam hanc liberalitate sua hucusq; conservarunt, liberalitatemq; liberalitate adauxerunt. Videatur Const. Eccl. Aug. p. 202. Quædam vero à Rebus publicis sunt destinata. Sic Senatus Argentinenfis ac Noribergensis Magnificis sumptibus præclara crexere Lycea. Stipendia etiam porro considerari debent ac possunt respectu *personarum Donatariorum*: in *Facultate Theologica*. Huic enim ordini sua non negarunt præmia Magnates, sed proflixa liberalitate adversus id studiorum genus usi ipsi sunt. In Veteri Testamento primitias ac decimas omnium frugum ac proventuum personæ Ecclesiasticæ accipiebant. In Novo verò quamvis sub primitiva Ecclesia Discipulorum, Apostolorumq; stipendia fuerint exigua, sufficientia tamen eadem ad vitam sustentandam. Etenim bonorum inducebatur communio, quæ tamen postea successu temporis fuit abrogata. Auxerunt hæc stipendia Imperatores, inter quos *Constantinus M.* qui singulare vectigal Ecclesiis distribuit. *Juris Consultos* quoq; Reges ac Principes singulari liberalitate prosecuti sunt. Honorarijs iisq; splendidis eosdem donarunt. Pariter & *Medicos*. Medicina verò Romæ serò coli cepit, ajuntq; Cæsarem primum fuisse, qui medicinam professos civitate donavit. Augustum deinde Antonio Musæ Medico, cujus operâ à gravi morbo convaluerat, præter magnam pecuniarum vim, aureorum annulorum jus: omnibus vero in univ ersum Medicis immunitatem à muneribus civilibus dedisse, è scripto-



scriptoribus Romanarū rerū constat, Ampla quidē stipendia *Philosophi* nō ambierunt, sed oblata nō recusarunt. Quanquam è veterum sapientum numero non desint, qui aliquid accipere non recusarint. Primus verò Imperator fuit, teste *Svetonio* in ejus vita, qui è n̄sco Latinis Græcisq; Rhetoribus annua centena constituit.

Nimis prolixum foret commemorare, quanta in existimatione Poetæ apud Imperatores Romanos extiterint, quàm largum laborum sæpè retulerint fructum.

Quia verò indecorum esset, si nullum iterum officiorum redhostimentum donatarius donanti præstaret; Ergo in *Const. Eccl. Aug. p. 206.* obligatione adstringitur, se cum Deo & die officiorum redhostimentum Mœcenatibus exhibere velle. Quod ipsum licet non adeò rigerosè ab omnibus exigatur: ad remunerandum tamè naturæ quasi lege obligati omnes sunt. Cunctæ enim sentiunt gentes, *terram nihil creare pejus homine ingrato.* Idcirco donatarij officium erit, gratum animum, observantiamq; pro collatis in se beneficijs demonstrare, suaq; officia in Rempublicam conferre. Cœterum prolixiorum materiæ hujus-pertractationem desiderans, adeat *Lexicon Juridicum Job. Calvini* voce *Stipend.* cui quoq; commodè jungi possunt duæ eruditæ dissertationes de eadem hac materia sub *CLL. Viris, Dn. Christiano Gueintzio & Dn. Job. Christoph. Sagittario* quondam habitæ, è quibus etiam nonnulla translata huc à me esse, non equidem diffiteor.

Atq; hæc pauxilla illa sunt, quæ de stipendio literario pro ingenij modulo, conscribere animum induxi. Tibi vero  
Christe, sit cum Patre, Hagioq; Spiritu, Gratia, Laus,  
Honor & Gloria.

Humanissimo Dn. RESPONDENTI,

Populari meo.

**N**on Præceptores tibi, non stipendia desunt,

*Ut Musas possis continuare tuas.*

*Uttere muneribus rectè: benedictio Jovæ*

*Astrigerâ fidam mittet ab arce manum.*


*Ibis in amplexus patris matrisq; benignæ*

*Sic tandem omnigenâ cultior arte tuâ.*

Michael Wendelerus, P. P.

**H**OMMELI, clari soboles generosa *Parentis*,  
civis *Leucoreos* non inhonore mea.  
Dum nostri scandis prælustria rostra Lycei,  
quæ det Munificûm dextra patrona docens:  
Adprobat eximios mox ausus noster Apollo,  
ac spondet civi splendida ferta suo.  
Ipse coronabit summus TUA cœpta JHOVA.  
Perge velut pergis, bina corõna TUA est!


M. Joh. Ern. Gerhardus, Jen.  
Coll. Phil. Adj.



**C**Ertè in Te ratio cadit, probatæ  
Virtutis studium, frequensq; cura  
Hoc quî munere candido rependis  
Clarum Pieridum decus Patronis,  
Pronâ qui Clarios benignitate  
Cultores redimunt, sitim ut levare  
Ardentem valeant ad amnis undas  
Sacri. Nomina non finis perire  
Horum, quæ celebrant nec indiserti.  
*Sic Te vivere convenit, placere*  
*Sic presentibus & debes futuris*  
*Doctorum auribus.* Ast liquorem ab amne  
Hæc Te largius exprimunt bibisse.  
Post aptans Capiti tuo corollam,  
Magno fœnore senties merenti  
Ingentes Tibi Gratias referri!

*Amicissimo Conterraneo exed.*

M. Christophorus Schindlerus, Misn.



Michael Wendlerus, P. P.

VO A 6412


SB


ULB Halle 3  
002 920 379  


VO 77

Retro ✓







DE  
**STIPENDIIS**

LITTERARIIS  
DISSERTATIO POLITICA,

*QUAM*  
SECUNDANTE DEO TER OPTI-  
MO MAXIMO,

*PRÆSIDE*

CLARISSIMO

**DN. M. JOHANNES ER-**

**NESTO GERHARDO JENENSI,**

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

ADJUNCTO,

*HORIS MATUTINIS*

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM

*A. D. IX. MENSIS MARTII*

*ANNO M. DC. L.*

PUBLICÆ ET PLACIDÆ ERUDI-


TORUM DISQUISITIONI

SISTIT

**JOHANNES HOMMEL**

CHEMNITIO-MISNICUS

A. ET R.



WITTEBERGÆ,

TTPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L.